

**De cordis aneurysmate rarissimo : dissertatio inauguralis  
anatomico-medica ... / auctor Meyer Boas.**

**Contributors**

Boas, Meyer.  
Friedrich-Wilhelms-Universität Berlin.  
Royal College of Surgeons of England

**Publication/Creation**

Berolini : Literis Augusti Petschij, 1826.

**Persistent URL**

<https://wellcomecollection.org/works/krfwm5ab>

**Provider**

Royal College of Surgeons

**License and attribution**

This material has been provided by This material has been provided by The Royal College of Surgeons of England. The original may be consulted at The Royal College of Surgeons of England. where the originals may be consulted. This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.

**wellcome  
collection**

Wellcome Collection  
183 Euston Road  
London NW1 2BE UK  
T +44 (0)20 7611 8722  
E [library@wellcomecollection.org](mailto:library@wellcomecollection.org)  
<https://wellcomecollection.org>

DE  
CORDIS ANEURYSMATE  
RARISSIMO.

---

DISSERTATIO  
INAUGURALIS ANATOMICO - MEDICA,  
QUAM  
CONSENSU ET AUCTORITATE  
GRATIOSI MEDICORUM ORDINIS

IN  
UNIVERSITATE LITERARIA BEROLINENSI,  
AD SUMMOS  
IN MEDICINA ET CHIRURGIA HONORES  
RITE ADIPISCENDOS,  
DIE XXXI. M. JULII A. MDCCCXXVI.

H. L. Q. S.

PUBLICE DEFENDET

AUCTOR

*M E Y E R B O A S,*

GUESTPHALUS.

---

OPPONENTIBUS :

*S. HEYNE*, MED. ET CHIRURG. DD.

*S. H. MICHELSEN*, MED. ET CHIR. CAND.

*S. L. WEISS*, MED. STUD.

---

BEROLINI,

LITERIS AUGUSTI PETSCHII.

CORDIS ANEURYSMATE  
RARISSIMO

DISSERTATIO

INSTRUMENTIS ANATOMICO-MEDICIS

OPUS

AD AUCTORITATEM

ILLUSTRISSIMI MEDICORUM ORDINIS

ACADEMIAE TURICENSIS

AD AUCTORITATEM

ILLUSTRISSIMI ET CHIRURGIAE HONORIS

ACADEMIAE TURICENSIS

ILLUSTRISSIMI MEDICORUM ORDINIS

ACADEMIAE TURICENSIS

AUCTORI

M. F. B. O. N. S.

OPUS

OPUSCULUM

DE ANEURYSMATE

CORDIS ANEURYSMATE

ACADEMIAE TURICENSIS

OPUSCULUM

DE ANEURYSMATE



---

---

## PROOEMIUM.

Cum, ut mori solemniter satisfacerem, diu et multum in materia eligenda haesitasset, Rudolphi virum illustrissimum adii rogans, ut mihi in hac re ambigua suppetias ferret. Ille mihi proposuit cor pathologicum, in museo anatomico nostro servatum, quod, quoad vires meae ferrent, describerem; quam ob rem viro huic illustrissimo maximas, quas possum, gratias referendi officium meum duco gravissimum.

---

---

## INTRODUCTIO.

---

Vitium organicum cordis, de quo locuturus sum, omnium cordis vitiorum organicorum rarissimum est. Aneurysmatis nempe cordis sinistri, et quidem in apice, non multa exempla sunt, et in auctoribus, de hac re disserentibus, tantummodo duo hujusmodi invenire potui, quorum unum Walther \*), alterum Bailli \*\*), narrat. Nam ut in aorta atque in reliquis arteriis aneurysma oritur, sic et hîc ex dilatatione substantiae muscularis et ruptura intimae membranae cavitatis cordis sinistri saccus aneurysmaticus natus est; quo in sacco et coagulum sanguinis, ut in aliis saccis aneurysmaticis, invenitur.

Cor ipsum Walther in catalogo musei anatomici steatomaticum judicat. At ille vir magnus in hunc errorem aliter induci non potuit, quam quod saccum aneurysmaticum dissecare non aude-  
ret, et sic coagulum in hoc sacco eum fefellit. Atque etiam de hoc corde, in loco supra dicto, ut de steatomatico loqui mihi videtur.

---

\*) Mémoires de Berlin, 1785, pag. 55.

\*\*\*) Bailli morbid anat. pag. 17.

---



---

§. I.

**C**or ipsum est viri adulti, cujus omnes partes singulares, praeter abnormitatem mox describendam, minime de statu naturali aberrant, neque in situ, nec magnitudine, nec structura formave. Ventriculus nempe dexter, *a*, neque angustior nec magis dilatatus est, quam in normali et naturali statu esse debet; sic et substantia hujus ventriculi muscularis neque spissior nec est expansior.

Ut semper ex hoc ventriculo arteria pulmonalis exit, *b*, sic et arteria aorta, *c*, ut in omnibus sanis cordibus ortum habet ex ventriculo sinistro, nec non ligamentum arteriosum, *d*, inter arteriam pulmonalem et aortam eundem occupat locum, in quo et alias invenitur. Et arteriae coronariae suum tenent locum, et quae earum pars, *e*, in tabula nostra conspicitur, ramus anterior arteriae coronariae sinistrae est. Septum ventri-

culorum, *f*, eandem formam et structuram ut alias habet.

§. II.

Ventriculus aorticus, *g*, in quo aneurysma apparet, cujus cognitio hanc ob rem etiam nostram curam maxime postulat, non in universum est dilatatus, sed solummodo ex parte; superior enim ventriculi pars normalem habet structuram, substantia nempe muscularis neque spissior nec magis dilatata est. In parte media fibrae musculares paulatim jam tenuiores infirmioresque fiunt, ita ut in parte inferiore, in apice ventriculi, mox evanescunt oculisque subducuntur. Quae vero membrana hujus ventriculi superficiem internam obducit, plane integra de basi cavitatis descendit; ubi autem fibrae musculares tenuiores atque infirmiores fiunt et haec membrana sensim in eundem statum abit, ubi autem alias cavitas ventriculi in apicem finitur, quasi abscissa, subito evanescit.

Membrana serosa pericardii, quae cordis superficiem externam obducit et hinc de basi usque ad mucronem substantiam muscularem stricte circumdat, tum vero in saccum, *m*, dilatata, id quod aneurysmatici nomen habet, efficit. Quo vero in sacco coagulum sanguinis, *n*, jacet, ponderis cir-



citer unciarum trium usque ad quatuor, quodque saccum plane explet. Ex hac dilatatione sacciformi illius membranae cordis mucro, cujus extremum in normali statu rotundatum est atque mediani incisuram habet parvam, qua ex incisura duae eminentiae, gignuntur, quasi colles, quorum unus cuique ventriculo est, minime est cognoscendus.

§. III.

Impedimenta mechanica, quae sanguini exeundo occurrant, hîc omnino non adsunt, valvulae nempe semilunares ostii arteriosi ventriculi posterioris neque in os nec alio modo sic mutatae sunt, ut hoc sanguini sit impedimentum. Et aorta ipsa, quam persaepe angustiolem invenimus, quam in statu normali esse deberet, quare igitur et sanguinis moles longius in ventriculo morari debet, itaque tanquam vi mechanica sua ventriculum sensim sensimque dilatat, hîc a statu naturali minime aberrans invenitur. Quodsi vero etiam impedimentum quoddam hujus generis affuisset, intellectu quidem facile foret, quomodo ventriculus in univ ersum potuit dilatari, quo pacto tum vero hoc solummodo ex parte fieri potest, non facile mihi perspectu est. Ut ad nostrum autem exemplar redeamus, quomodo illud aneurysma, jam supra



descriptum, ortum sit, minus accurate constituere possum. Impedimenta enim mechanica, ut jam dictum est, omnino non adsunt, et si affuissent, aneurysma totius ventriculi, sed non ex parte, oriri potuisset. Alius generis causae igitur illud vitium organicum ortum suum debet. Arteriae quidem coronariae, quae cor ipsum restituunt nutriuntque, ramos ramulosque suos ita diffundere possunt, ut particulae partesque quaedam illis ramis nutrientibus plane carent; nutritio harum partium igitur male vel nullo modo fieri potest. Eodem modo hoc fieri debet, cum ramuli nonnulli nervorum aegrotent, qui arterias comitantur aptasque faciunt substantiae consumptionem restitutione ad compensandum. Denique inter resorptionem atque restitutionem eo modo ratio potest esse soluta, ut resorptionis vis restitutionem excedat, quodque si solummodo ex parte fit, imminutio substantiae muscularis et ex parte oriri potest. Tali igitur modo in his causam aneurysmatis, de quo locuti sumus, ponere possumus.

§. IV.

Nominis disquisitio huic vitio organico imponendi haud sane necessaria mihi esse videtur. Quod veteres enim aneurysma verum nominabant,



siquidem tumorem per dilatationem abnormalem ortum, hîc minime adesse, quod vero aneurysma spurium judicabant, per membranae nempe aperturam vel potius rupturam natum, conspiciendum nobis datum, facile per descriptionem supra dictam intellectu est. Num vero talem divisionem assumere possumus, in medio relinquamus. Sunt quidem multi, qui hanc veterum divisionem defendere conentur, Scarpa vero, qui de hac materia diligentissime atque accuratissime quaesitus est, eam omnino rejecit, omniaque aneurysmata solummodo spuria esse contendit. Et Rudolphi idem judicat, sibi que nunquam aneurysma verum oblatum dicit. Omnino negari autem non potest, quod et Scarpa non negat, dilatationem cordis substantiae articularumve tunicae muscularis persaepe occurrere posse, quodque tum facilius aneurysmati ortum suum dare.

§. V.

Plurimi de aneurysmate auctores dilatationem cordis non solummodo ex parte, cujus rarissimum exemplar nos hactenus occupavit, sed et in universum aneurysmia cordis nominant; ex quo igitur aneurysmata cordis forent:



I. dilatatio cordis totius, parietum firmitate revera aucta, vel quidem in ratione dilatationis minime minuta \*).

II. Dilatatio totius cordis vel omnium cordis cavitationum, cum parietum extenuatione, aorta vero persaepe angustiore \*\*).

III. Dilatatio unius cordis, dimidia scilicet cordis partis, vel cavitatis, quod multo saepius quam totius cordis dilatatio evenit. In plurimis hujusmodi casibus impedimenta sanguinis exeundi in quodam cavitatis ostio ut dilatationis causa occasionalis adsunt. Tum vero impedimentum est res maxima morbi, dilatatio autem solummodo accedit, pejoremque facit, nihilominus tamen exempla simplicis dilatationis unius cordis invenimus:

a) dilatatio cum parietum extenuatione in corde dextro; hujusmodi exempla saepissime et qui-

---

\*) Meckel mémoires de Berlin l'année 1755.

Pettson Sammlungen für prakt. Aerzte. 12. Bd. S. 596.

Menninger in Hufeland's Journal der prakt. Heilkunde. 26. Bd. 4. Heft. S. 125.

\*\*) Charles Bell anatomie. S. 196.

Fahn, in Hufeland's Journal d. prakt. Heilkunde. 23. Bd. 3. Stück, 2. Fall.

Morgagni epistola XVII. art. II.

John Bell, Sammlung. für prakt. Aerzte. 17. Bd. S. 511.



dem in atrio dextro nobis occurrunt. Videndum autem, etsi in cadaveribus atrio dextro vel etiam venis cavis maxime dilatatis, ne statim dilatationem morbosam conjectemus. Cum enim inter cordis cavitates atrium dextrum plurime primum moritur, ita et plurime in cadaveribus, per sanguinem hinc in ultimo vitae actu coacervatum, valde dilatatum invenitur. Ut talem dilatationem morbosam judicare possimus, parietes atrii vel ventriculi dextri aut amborum plane extenuatas esse oportet. Ceterum persaepe angustiae cordis sinistri dilatationem atque extenuationem dextri comitantur \*).

b) Dilatatio cum extenuatione parietum cordis sinistri, quod rarius evenit, vel plurime impedimento, quod in aorta invenimus \*\*).

c) Dilatatio cum parietum spissitudine cordis sinistri, quod non raro invenimus; parietes tum vel revera spissiores quam in normali statu aut tali dilatatione tamen non sunt tenuiores.

---

\*) Portal, Sammlungen für prakt. Aerzte. 13. Bd. Seite 718.

\*\*) Hufeland Journ. d. prakt. Heilk. 33. Bd. 2. Heft. Corvitart, Herzkrankheiten S. 119.



d) Dilatio cum parietum spissitudine cordis dextri, quod persaepe in morbo coeruleo per coarctionem arteriae pulmonalis et communicationem amborum cordis cavitatum accidit; non dubium vero est, quin hic status tantummodo sensim sensimque natus sit; rariora vero sunt exempla, ubi hic status sine aliis vitiis adest; Corvisart autem et talem casum describit \*).

IV. Dilatio cum spissitudine unius et extenuatione alterius cordis rarissima est, ubi quidem ambae cordis cavitates dilatatae sunt, parietum natura autem plane contraria, ut spissitudo cordis sinistri et dextri dilatio, ejusque contrarium \*\*).

V. Dilatio cordis cum eodem vitio in initio aortae, quod saepissime accidit.

VI. Dilatio ventriculi unius et solummodo ex parte, omnium aneurysmatum rarissima.

---

\*) a. a. D. C. 76.

\*\*) Kreyfig, a. a. D. 10. Fall.

Corvisart, a. a. D. 13. Fall.

Morgagni epistola XVII. art. 21.

---

## TABULAE EXPLICATIO.

---

- a. **V**entriculus dexter.
  - b. Arteria pulmonalis.
  - c. Arteria aorta.
  - d. Ligamentum arteriosum.
  - e. Ramus anterior arteriae coronariae sinistrae.
  - f. Septum ventriculorum.
  - g. Ventriculus sinister.
  - h. Hujus ventriculi ostium arteriosum.
  - i. Hujus ventriculi ostium venosum.
  - l. Auricula sinistra.
  - m. Saccus aneurysmaticus.
  - n. Coagulum sanguinis.
-



---

## CURRICULUM VITAE.

---

**E**go *Meyer Boas*, Lübbecke, oppido Guestphalae, anno *MDCCCII.* die *XI.* mensis Octobris natus, ibi in domo patria usque ad decimum quartum annum moratus sum, quo tempore primis literarum elementis operam dedi. Tunc Steinfortium me contuli, ubi Gymnasio publico carentem privatim instituerunt Professor *Sehnaar* et Pastor *Fink*, tum in veteribus linguis tum in iis literis, quae ad altiora studia viam muniunt. Monasterii testimonium maturitatis nactus, Gottingam profectus sum, ibique ab illustr. *Bergmann* t. t. Rectore in numerum civium academicorum medicinae studiosus die *XV.* mensis Aprilis anni *MDCCCXXIII.* receptus sum. In hac alma Georgia Augusta sequentibus scholis interfui. Illustr. *Langenbeck* et *Hempel* de diversis anatomiae partibus disserentes audivi, et his ducibus rite cadavera secandi operam dedi. *Tob. Meyer* Physicem me docuit. Illustr. *Stromeyer* Chemiam et Illustr. *Schneider* Botanicen, Illustr. *Blumenbach* historiam naturalem, physiologiam et anatomen comparatam expo-

nentem audivi. Illustr. *Conradi* pathologiam et therapiam generalem nec non specialem me docuit. Illustr. *Langenbeck* chirurgiam et Illustr. *Mende* artem obstetriciam me docuerunt. Duobus annis praeterlapsis Berolinum petii et die *XXII.* mens. Aprilis anni *MDCCLXXV.* inter cives academicos ab Illustr. *Rudolphi*, t. t. Rectore magnifico, receptus, medicinae studiosorum numero ab Illustr. *Link*, t. t. ordinis medici Decano maxime spectabili, adscriptus sum. Quo inde ex tempore in clinicis medicis, ducibus Illustr. *Behrends*, Illustr. *Hufeland* et Illustr. *Neumann* et auscultando et praxin faciendo interfui et in clinico medico-chirurgico duce Illustr. *Rust* auscultavi.

Jam vero tentamine et examine rigoroso coram gratioso medicorum ordine superatis, non dubito quin, dissertatione publice defensa, summos in Medicina et Chirurgia honores impetraturus sim.

---



---

**THESES DEFENDENDAE.**

---

I.

*In medicina non est specificum.*

II.

*Urethritis syphilitica existit.*

III.

*Hysteria et Hypochondria idem est morbus.*

---







